

OSVVIECZENSIS ET ZATORIENSIS DUCATVS. 76

HAEC amplissimi Poloniæ Regni pars est, ab ea videlicet parte qua Silesiã attingit: olim verò ad hoc Regnum non spectabat, sui enim iuris erat, Polonisque regibus nõ parebat. Osvvieczensis quidem ducatus ad Polonos peruenit anno salutis humane millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, sub Casimiro III. Zatoriensis verò annis circiter centum post illa tempora sub Rege Sigismundo I. anno nimirum salutis reparatæ millesimo quingentesimo quadragesimo octauo, Poloniæ regno incorporatus rursus erat, idque iurearum, vt in historia sua Polonica testatur Cromerus. Vrbs autem Zator (quæ Zatoriensem Ducatum facit) fluuiolo Skavvæ imminet, qui itidem Vistula absorbetur. Sitæ sunt autem prouinciæ hæ inter Vistulam fluuium & Carpathum montem, qui & Sueuus dicitur ærisque rubri fœcundus est, quod Vngaricum vocant. quin in eodem etiam monte argentum effodiunt, ac reliquarum minærarum copiam præbet. Est autem mons vastissimus, ac per Silesitas Marauaniosq; in Pannoniam Sarmatiamque protenditur. Vistula autem (Germanicè dicitur Weßel) Poloniam à Germania separat, atque olim, vt superiori folio diximus, Vandalus appellatus fuit. Verum hic dubitari posset, fluuiusne à Vandalis populis, an verò populus a fluuio nomen suum mutuarit, si fides adhibenda esset dubiæ cuiusdam historiolæ, cuius in Cosmographia sua mentionem facit Munsterus, vbi ait Vandalos nominis sui etymologiam deducere à Vanda quadam Poloniæ Regina, quam pro assecuta contra Teutones victoria, fabulantur dijs seipsam immolasse, de ponte in Vistulam salisse, & ab aquis suffocatam vno miliario à Graccouia; vnde fluuius, in quo est submersa, dictus est Vandalus, & gens circum habitans Vandalitæ. Hac de re lege Vandaliam Krantzij. Huius autem Vandæ Sabinus quoque meminit in nuptijs suis Polonicis elegantissimè his versibus:

— Subit scelerato Vanda tyranno,
 Qua cum mille procis, quod erat formosa, placet.
 Innuba virgo tamen casti sine labe pudoris
 Mansit, & atatis ver intemerata petegit.
 At non femineis calatibus, non dedita molli
 Illa fuit lana: duris assueta sed armis.
 Figere terribilem longis palearibus vrsam,
 Frendentemq; suis, excire cubilibus vrsam.
 Martia si quando fremuerunt classica, belli
 Laudibus insignes aquauit & Heroinas.
 Quippe Borystheniden, debellauitq; Gelonum,
 Binaq; magnanimo cum Teutone praelia fecit.
 Corniger at debat vittricis amore puella
 Istula, cumq; suo vidisset in amne lauansam,
 Mollibus excipiens amplexibus abstulit illam
 In vitreas sedes, thalamiq; in honore locauit.

Idem etenim fluuius quondam Istula dictus fuit, item Vifula, Iustilla & Inftula: is in Carphatijs, Sarmaticisque montibus ortus, qua in Iazyges, & Marcomanos Polonia



imminet, in Codanum egreditur non vno ostio, & amplissimo antequam Dantiscum attingat, alueo, vbi mira piscium copia atque hic totius Poloniae nobilissimus est fluuius, nam & priusquam Craccouiam peruenit, multi eum amnes influentes augent, vt sunt Biaza fluuius, Sala fluuius qui & ipse Kossoraba fluuio auctus, haud procul ab Ofvieczensi vrbe Vistulae confluit. inde Skavva fluuius & Skavvinka è regione Craccouiae, & perpauci alij, atque hi quidem ex Meridionali tantum latere proueniunt. ex Septentrionali autem latere augetur Vistula supra Cracouiam Korzeniecza, Gostinia & Czerniechovicza fluuiolis. Ad caput autem Vistulae fluuij, Morauiaeque contermina, iuxta Carpathum montem Teschnensis est ditio, quam Luti Buriique olim habitarunt. Ab Occidente Ducatus hi Silesiam contingunt, à Meridie Hungariam, inter Meridiem & Occidentem Morauia respiciunt, ab Oriente & Septentrione reliquam poloniam. Quae praeterea de incolarum moribus, terrae qualitate ac fertilitate dici possent, ex superioris tabulae, Poloniae nimirum descriptione abundè satis promere licebit: siquidem ambo hi Ducatus (vt supra quoque monuimus) ad amplissimum Poloniae regnum spectant, eiusque pars sunt.

